



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

De commodato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

tuum, *Dist. 43. Et in cap. Domino sancto, in verbo Necessitate, Dist. 30. Et in cap. Exigunt, i. quest. 7. & Abbas in cap. Cum causam, de Elect. Anania in cap. Si quis propter necessitatem, de Furtis, & Covarruias lib. 3. var. resolutionum, cap. 14. num. 5.* docent, eos posse cogi à Iudice ad elemosinam largiendam, ergo multo magis ad mutuum dandum. Postremo, in multis causis, ob commune bonum, fidei scilicet, & religionis, Principis, vel Republicæ, cogitur quis rem suam vendere, vel locare, vel etiam emere frumentum à Republica, ut probat Covarruias lib. 3. var. resolutionum cap. 14. num. 6. Et 7. qui ergo is merito compelli queat ad mutuum dandum.

### Quanam actio ex mutuo proficiatur.

#### CAPVT XII.

**E**X mutuo oritur actio, quæ in iure Ciuili dicitur certi conditio, quæ repetimus certum aliquod debitum nobis. Conditio, apud veteres erat, denunciare: actio enim teo diem condicebat, id est, denunciabat, quo die Prætoriam adiret subitutus iudicium *l. 1. §. Sic itaque ff. De actionibus.* Postea vero condicendi verbum apud Iuriconsultos usurpatum est pro verbo repetendi rem in iudicio. Conditio igitur certi, est actio personalis, qua rem certam in iudicio repetimus: tunc autem dicitur res certa peti, quantum apparet: quid, quantum, quale sit id, quod debetur. *l. Vbi autem ff. De verbo. obligat. §. l. Certum. ff. De rebus cred.* ut si quis petat decem amphoras vini hodiensis optimi, aut decem modios tritici Romani optimi. Nec parum refert, vitum hæc, an illa actione contra rem in iudicio agatur: quia ex diuersis contractibus diuersæ quoque actiones oriuntur.

## DE COMMODATO.

### Quid sit Commodatum.

#### CAPVT I.



**I**N Iure Ciuili lib. 13. Digestorum extat titulus *Commodati, vel contra.* Idem titulus habetur in lib. 4. Codicis. In Iure etiam Canonico lib. 3. Decretalium est titulus *de Commodato.*

Primo quaeritur, vnde commodatū nomen accipiat? Azo in *summa, tit. de Commodato.* Gloss. & Hostien. *cap. 1. de Commodato,* aiunt, Commodatum dici, quasi, commodo gratis datum, vel quali, commodo accipientis, siue utentis datum.

Secundo quaeritur, Quid sit commodatum? Respondeo cū Azone, Gofredo, Hostien. & Glossa in *tit. de Commodato,* esse id, quod gratis alteri datur ad certum aliquod vitium. (Gratis) vt dicitur à locato: res enim locatur certa mercede, quod si non interueniat merces, sed aliquid aliud tamquam merces, est contractus innominatus, do vt des, vel, do vt facias. Gloss. in *cap. 1. de Commodato.* (Ad certum vitium) vt differat à precario, quod alteri datur gratis, sed ad vitium incertum, ad eum videlicet, quem voluerit is, qui accipit precarium. Glossa in *cap. 1. de Commodato.* (Datur) quia ad eum, qui accipit commodatum, non quidem transfertur dominium, aut proprietates rei, aut possessio ciuilis, vt dicam inferius, sed vitium duntaxat. In quo distinguitur à mutuo, quamuis gratis datur, tamen fit accipientis. Differet etiam à deposito, & pignore, quia in his contractibus nec dominium rei, vel proprietates, nec vitium transit ad accipientem: vt in alijs locis dicemus.

### Quot, & quæ sint commodati genera.

#### CAPVT II.

**C**OMMODATVM diuidi potest ratione rei: aut enim est rerum mobilium, aut se mouentium, aut immobilium. Deinde, aut est rerum corporearum, aut incorporearum. Corporis expertes res sunt seruitutes prædiorum vrbianorum, vel rusticorum. Sunt etiam huiusmodi iura, videlicet: ius vtendi, vel vsusfructus, ius habitandi in domo, annuus redditus, vel pensio, tributum, vectigalia, & alia id genus.

Diuiditur etiam Commodatum in tres partes: aut enim est tantum gratia eius, qui accipit: aut tantum gratia eius, qui dat, vt si quis commodet aliquid sponse, vel vxori, quo compitor, & ornator ad eum deducatur, vel famulo, quo honorificentia: suum herum comiteretur. Si Prætor, edens ludos scenicos, commodet vestes scenicas. *l. Si vt certo. §. Interdum ff. Commodati.* Aut est causa, & gratia vtriusque, tam dantis, quam accipientis: vt si Titus commodet tibi vas aurea, vel argentea, vt domi tue communem amicum excipias, quem ad cenam tu & ipse inuitabis. *l. in vebus. §. Hæc ita. §. l. Si vt certo. §. Interdum. ff. Commodati.*

Tertio, diuiditur commodatum ratione temporis. Aut enim datur ad certum tempus expressum: vt si tu mihi commodes equum ad tres dies: aut ad certum tempus, tacitum tamen, & implicitum: vt si commodo tibi librum, vt eum transferbas: is enim libri vsus certum tempus tacite requirit.

### Quis possit commodare, & cui possit commodari.

#### CAPVT III.

**P**OTEST vnusquisque commodare, siue sui, siue alieni iuris sit, vt seruis, & liberi familias. Item, siue bonæ, siue malæ fidei possessor sit. *l. Si seruis, §. l. Commodare. §. l. Ita vt si fur. ff. Commodati.* Item æconomus, cui res Ecclesiæ administranda, & gubernanda committitur. Hostien. in *summa, tit. de Commodato.* Is nempe, qui habet tantummodo vsufructum, vel seruitutem, vel ius habitandi in domo, potest commodare. Bart. & Bald. Salic. & alij in *l. 1. §. Commodati.*

Quæres, an vxor possit commodare rem viri sui? Potest iure communi. *l. Si constante. §. Si vxor. ff. Sol. matr.* Quod si res commodata perierit, eam vxor compensat in dote, quando maritus commodare prohibuit: ac si non prohibuit, modicum tempus, iudicis arbitrio, est vxori concedendum, quo commodatum repetat, & restituat viro. Menoch. lib. 2. *de Arbitr. iudic. cap. 15.*

Si roges, an religiosus possit commodare? Respondeo, minime, quia ratione voti Deo nuncupati, se rebus omnibus abdicauit, & voluntatem suam transfuit in superioris voluntatem. Vnde in *cap. Religiosus, de Testam. in 6. Et cap. Religiosus, de sepult. in 6.* dicitur, Religiosum non habere velle, aut nolere. *Item etiam in cap. Quorundam, de elect. in 6. Et cap. Non dicatis, 22. quest. 1.*

Præterea, qui contrahere nequeunt, commodare non possunt, vt pupilli, vel minores. *l. Iulianus. ff. de contrahen. empr. Et vend. Vnde in l. 1. §. Impuberes. ff. Commodati, dicitur.* Impuberes commodari actione non tenentur, quoniam nec consilium commodatum in pupilli persona, sine tutoris auctoritate, vique adeo, vt etiam si pubes factus dolum, aut culpam admittat, hæc actio non teneatur, quia ab initio non consistit. *Et in l. Sed mihi videretur, si locupletior pupillus factus sit, dandum vitium commodati actionem;* hoc est si res commodata penes pupillum inueniatur, datur actio commodati. At quamuis commodati actione

pupillus civiliter non teneatur, naturaliter tamen tenetur. *Gloss. in l. Sed mihi, iam citata.*

Furius item commodare non potest. *l. Nec in furioso. ff. Commodati, legimus sic: [Nec in furiosum commo- dati actio danda est, sed ad exhibendum aduersus eos dabitur, vt res exhibita vindicetur.]*

Postremo commodari potest cuique etiam seruo, impu- beri, furioso, Bartolus, & alij *in l. 1. & 2. ff. Commodati.*

### Quae res possint commodari.

#### CAPVT IV.

**P**RIMO quaeritur, An commodatum consistat in re- bus incorporatis? Quidam veterum negarunt in his rebus commodatum consistere, sed Bart. Paulus, Sali- cet. Aretin. & alij, affirmant his in rebus posse consistere. *l. 1. ff. Commodati, idem etiam docet Gloss. cap. 1. de Com- modato. Vnde iura, & seruitutes, & pensiones, & redditus an- nui commodari queunt.*

Secundo quaeritur, An res aliena commodari queat? Respondeo, distinguendum esse: cum est quis bonae fidei possessor, ea res commodari potest: at male fidei possessor commodare non potest, nihilominus *in l. Commodare, & l. Ita vt si fur. ff. Commodati, dicitur commodare posse rem alienam, vt fur, & praedo. Hoc autem ideo leges illae per- mittunt, quia nihil aliud volunt, nisi quod fur, & praedo pos- sunt agere actione commodati, si rem alienam commoda- uerint. At vero secundum conscientiam commodare ne- quit possessor male fidei, quia eam Domino restituere, natu- rali iure compellitur.*

Tertio quaeritur, An res sacra commodari possit? Respon- deo, vnam Ecclesiam alteri commodare posse res sacras, quia Ecclesia non accipit rem faciam, nisi ad sacras vsus: at vero ad communes, & profanos vsus res sacra commo- dari non potest.

Quarto quaeritur, An res, quae vsu ipso statim consumi- tur, commodari queat? *In l. Sed mihi, §. ult. ff. Commo- dati, habetur: [Non potest commodari id, quod vsu primo consumitur, nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat.] & in l. Sapē. ff. eod. tit. sic est: [Sapē etiam ad hoc commodatur pecunia, vt ditis gratia, numerationis lo- co intercedat.]*

### Quot, & quae obligationes ex commo- dato nascantur.

#### CAPVT V.

**I**S qui commodatum accipit, sex obligationibus tenetur. Prima est, vt non potest re, nisi ad eum vsum, ad quem accepit; ita vt si re vtatur aliter, quam commodata est, furti teneatur: vt si tibi equum commodauit, vt ad villam duce- res, tu vero ad bellum duxeris. *l. Si vt certo, §. Quod vero in senectute, & §. Quinimmo, & §. Idemque. ff. Com- modati. Nec potest vt re diutius, quam pactum fuerit, vt colligitur ex l. Si vt certo, proxime allata. Secunda obliga- tio: debet restituere commodatum tempore constituto. *l. de Restituendis. C. de Commodato, & l. Si vt certo, praeci- tata. Tertia: debet eandem rem in specie, vt Iurisconsulti loquuntur, reddere creditori: quia in l. Rei Commodatae. ff. Commodati, habetur: [Rei commodatae retinere nos, qui- damus, dominium, proprietatem, & possessionem, sed om- nis res aliena suo est Domino restituenda.] Quarta: ipso iure compellitur, qui rem commodatam accipit, restituere non deteriore factam dolo, aut culpa sua. *l. Sed mihi vi- detur, §. Si reddita, & l. In rebus, §. Siue autem, & l. Eum qui, ff. Commodati. Quinta: debet rem commodatā ser- uare, ea cura, & diligentia, qua res suas. l. Si vt certo, §. Quod vero in senectute, ff. Commodati. Sexta: secundum con-***

scientiam cogitur compensare, & reparare damna, quae re- commodata passa est dolo, & culpa sua. Haec obligatio col- ligitur ex super. oribus quinque obligationibus.

### Quenam ad substantiam, & naturam, & quae ad accidentia commodati pertineant.

#### CAPVT VI.

**I**N primis ad commodati substantiam spectat, vt is, qui commodat, rem alteri tradat vtendam. *l. Obligatur, ff. de Act. & oblig. & Gloss. ibidem in verb. Re. & verba, & Instit. §. Item is. Quibus modis re contrah. oblig.*

Secundo, necessarius est in commodato consensus con- trahentium. *l. 1. §. Adeo, ff. de Pactis.*

Tertio requiritur, vt rei commodatae dominium, sine proprietate maneat penes eum, qui dedit. *l. Rei commoda- ta, & l. Nemo, ff. Commodati, & Instit. Quibus modis re contrah. oblig.*

Quarto, vt reddatur eadem res in specie: scienim lo- quantur Iurisconsulti: Philosophi vero dicebant, vt eadem res numero reddatur. *Instit. Quot mod. re contrah. oblig. §. Item is.*

Quinto, necesse est, vt commodatum gratis, nulla ac- cepta mercede detur. *Instit. Quibus modis re contrah. oblig. §. Item is, vers. Commodata.*

Sexto, vt commodatum ad aliquem certum, & specta- lem vsum, & ad aliquod tempus, etiam certum, expellat, vel tacite detur. *Glossa in cap. 1. de Commodato, & l. Commo- dato, §. Sicut, ff. Commodati. Cyuus, & Bart. in l. 1. §. 1. ff. eod. tit. Ioan. And. & Panorm. in cap. Precarium, de Pre- carijs, cap. 1. de Commodato.*

Accidentia vero commodati sunt, cum res, quae commo- datur, assimilata datur, vt si forte perierit, tantundem redda- tur, quantum valebat. Item, cum quis, qui commodatum accipit, sponte sua se obligat creditori ad reddendum, vel rem, vel pretium rei, etiam si fortuito perierit, vt postea pa- tebit. Item cum quis commodatum suo periculo suscipit, vt inferius explicabo.

### De Pactis, quae in commodato solent, aut possunt apponi.

#### CAPVT VII.

**P**RIMO quaeritur, ex qua culpa teneatur, qui com- modatum accipit? Respondeo, quando commodatum solum est gratia eius, qui dat, tunc is, qui accipit, tantummodo tenetur ex dolo, & lata culpa, vt colligitur ex l. Si vt certo, §. Interdum, ff. Commodati, & l. Contractus, ff. de Regulis Iuris.

Quando commodatum est causa vtriusque, dantis, sci- licet, & accipientis, tunc qui accipit, tenetur ex dolo, & culpa lata, & leui, sed non leuissima, vt patet ex l. In re- bus, ff. Commodati, & l. Contractus, ff. de Reg. Iur. Quan- do vero commodatum est tantum gratia accipientis, sunt opinioniones. Sotus lib. 4. de Inst. q. 7. art. 2. concl. 4. vers. cre- diderim namque, asserit, eum, qui accipit, minime obligari ex leuissima culpa, immo nec leui, si ea culpa leuialis non sit. Nauar. in Manual. cap. 17. num. 184. merito confirmat hanc sententiam, quippe quae pugnat cum communi Docto- rum opinione, & vtroque iure. Quoniam reuera, inquit, non solum est contra communem Doctorum consensum, sed etiam manifeste aduerlat iuri Canonico, & Ciuili. Nam in cap. de Commodato, ait Pontifex: [Cum quis tan- tum gratia sui commodatum accipit, de leuissima etiam culpa tenetur.] Idem colligitur ex l. Quis situm, vers. Eum quoque, ff. de Precario. l. Contractus, ff. de Reg. Iur. & l. In re- bus, ff. Commodati, & l. Si vt certo, §. Nunc videndum, vers. Commodatum, ff. eod. tit. Certi igitur iuris est, eum, qui accipit commodatum sui tantum gratia ex leuissima culpa

culpa teneri. Ex quibus efficitur, vt hoc pactum admitti nequeat, ne qui commodatum accipit, ex dolo, & culpa obligetur.

In hac questione Sotus loco *prædicto* concedit quidem, Canones, Leges, & iura planè decernere, eum, qui commodatum suscipit, ex leui, & leuissima culpa teneri: sed dicit, iura leuem culpam, & leuissimam non intelligere eam, quam Theologi venialem, & paruam appellant, sed eam, quam vit prudens, cautus, & diligens deuitaret. Vnde colligit, generatim ex culpa veniali neminem secundum conscientiam compelli ad restituendum damnum inde subsequutum; ita vt grauius peccet, nisi illud restituerit.

Id probat, In primis, quia esset nimium seuera pœna, si is, qui commodatum accipit, aut quicuis alius ex veniali tantum culpa teneretur. Deinde, quia vix homines peccata venialia deuitant. Accedit, quod alioqui Magistratus, Aduocati, Iudices, & Medici, si ex leui culpa tenerentur, hoc est, ex culpa veniali, multa restituere cogerentur, cum in suis officijs obeundis, vix sint à culpa venialium immunes, & liberi. Ergo, si culpa leuis reuera venialis sit, & non lethalis, ex ea non teneretur is, qui commodatum accipit. Hæc Soti sententia, vt diximus, merito est constituta à Nauarro *dicto in loco*, & à Theologis recentioribus, qui Commentarios ediderunt in *S. Thom. in 2. 2. quæst. 62. art. 5.* Et reuera contraria est, non solum civilis iura, & Canonici Doctoribus in *cap. 1. de Commodato, & in l. Si vt certo. ff. Commodati*, sed etiam omnibus Summis, Angelo, Roella, Asteni, Monaldo, Gofredo, Siluestro, Tabieni, Armilla in *verb. Commodatum*. Quid, quod cum ipsa etiam ratione naturali pugnat? Nam cum Canones, & Leges constituant vt in commodato, & certis alijs contractibus ex culpa leui aliquis teneretur, non id decernunt, vt pœnam, vò culpam contractam: nec restitutionem eius, quod interest, præcipiant, perinde ac si obligatio restituendi nasceretur ex culpa; sed quia oritur id ex ipsa natura contractus. Nam qui commodatum accipit, obligat sese commodanti, vt ex leui, & leuissima culpa teneatur; quia sui commodi, & vilitatis gratia rem accipit commodatam; & ideò ea lege, & obligatione, vt omni diligentia, & cura custodiat. Quid vero sit dicendum de colono, inquilino, custode, conductore, Aduocatis, Medicis & Magistratibus, suis postea in locis dicemus, quam ex culpa teneantur.

Secundo queritur, An qui accipit commodatum, obligetur ex casu fortuito? Respondeo, minimè. *l. in rebus. ff. Commodati. & l. c. De Commodato. item l. 5. l. quoque. ff. De obligat. & act.*

Tertio queritur, An sint aliquæ causæ, in quibus etiam ex casu fortuito teneatur, qui accipit commodatum? Respondeo, tres esse causas. Prima est, si ita ab initio pactum sit. *cap. 1. De Commodato. & l. 1. c. eodem titulo*. Secunda, quando præcessit mora casum fortuitum, hoc est, si tempore constituto commodatum non est redditum, & deinde fortuito perijt apud morosum, quem vocant, debitorem. Tertia, si culpa fuit etiam ante casum, *cap. 1. De commodato. v. g. commodauit tibi equum, vt equitares per vrbem, tu vero duxisti in bellum, vel in villam tuam, quò dum duceres, fortè perijt, debes damnum integrum compensare*.

Quartus, An secundum conscientiam debeat damnum restitui, vbi mora, vel culpa casum antecessit, si res commodata esset pariter peritura apud Dominum, quemadmodum perijt apud eum qui commodatam accipit? Respondeo cum Angelo in *verb. Commodatum. num. 14.* & Siluest. *cod. verbo, quæst. 9. ad finem*, Armill. *cod. verbo, num. 7.* Nauarr. in *Manuali cap. 17. num. 183.* minimè tunc debere damnum compensare.

Ex his perspicitur, An pugnet cum substantia commodati pactum, vt quis rem commodatam suo periculo suscipiat, ita vt in omnem euentum restituere cogatur tantundem, quanti æstimabatur, si res casu fortuito apud ipsum

perierit: non enim huiusmodi pactum est contra, sed præter naturam commodati, quia cætera, quæ ad commodati substantiam pertinent, in eo seruantur. Nam res gratis datur ad specialem vsum, & certum tempus expressum, vel implicitum, & tacitum; eaque conditione, vt eadem in specie, si extiterit, reddatur.

Vnde falsum est, quod quidam dixerunt, sequenti Sorum *lib. 6. de iustitia, quæst. 6. art. 2. ad 2.* tunc commodatum transire in venditum, adhibita ad tempus pretij solutione: quam sententiam merito confutat Nauarr. in *commen. de Vsur. super cap. Si scener aueris. 14. quæst. 3. num. 35. & seqq.* Nam emptor pretium reddere debet, at is, qui commodatum accipit, rem, non pretium restituere cogitur. Deinde emptor rem accipit ad omnem vsum, sed qui accipit commodatum, ad specialem tantum effectum, & vsum habet eam rem; qui si aliter ea vtitur, quæ commodata est, actione furti teneretur. Dices, cum is, qui commodatum accipit, se obligat creditori ad soluendum pretium, si forte res ipsa perierit, eo ipso videtur rem accipere ad omnem vsum. Parum deinde aut nihil refert, an pereat res ob moram, & culpam debitoris, an vero ob casum fortuitum. Respondeo, non accipere ad omnem vsum, eum, qui accipit commodatum, etiam si ob pactum ex casu fortuito teneatur: quia reuera si aliter re vtitur, quam ad id, ad quod eam accipit, furti arguitur. Præterea si ob moram, vel culpam ipsius, res perierit, teneretur ex mora, vel culpa; perinde ac si se minimè obligasset ad casum fortuitum. At vero si res fortuito pereat, teneretur ex pacto, quo se obligauit, non ex ratione, & natura commodi.

Quarto queritur, An præter iam dictas, aliqua etiam alia subsit causa, propter quam, is qui commodatum accipit, ex casu fortuito teneatur? De hac questione, Glossa, & Bart. in *l. Si vt certo. ff. Nunc videndum. ff. Commodati*, Ioan. Andr. Hostien. & Alten. in *cap. 1. de Commodato, ibidem etiam Panormitanus num. 23.* Ang. in *verb. casus fortuitus, num. 6.* Asten. in *Summa, lib. 3. tit. 16. art. 4.* Roell. in *verb. Commodatum, num. 9.* Siluest. in *verb. casus fortuitus, quæst. 4.* & in *verb. Commodatum quæst. 7.* Tabien. *eodem verb. quæst. 8.* Dux sunt opiniones: Prima est Bartoli, Glossæ, & Hostienensis asserentium, quando res commodata datur æstimata, tunc qui commodatum accipit, eo ipso se obligare, vt si fortuito perierit, debeat tantundem reddere, quantum valebat. Vnde Bart. cum Gloss. regulam ponit generalem, quando contractus talis est, vt qui rem accipit, obligetur ex leuissima culpa, vt in commodato, qui accipit, teneretur ex casu fortuito. Quando verò talis est contractus, vt qui rem accipit, obligetur solum ex leui culpa, vt in locato, & conducto; tunc æstimatio facit, vt conductor teneatur ex leuissima culpa, non ex casu fortuito. *Id probant ij Auctores ex l. Cum fundus. & l. qua 2. §. Paulus. ff. Locati. & l. 1. §. vlt. ff. de æstimat. actione. & l. Plerumque. §. Sin autem. ff. de iure dot. & l. Si vt certo. ff. nunc videndum. ff. commodati.*

Sed Ioan. Andreas, & Panormitanus veritorem aliam in hac re Regulam constituerunt, nempe, quòdo talis est contractus, vt in eo æstimatio rei, venditionem faciat, tunc, qui rem accipit, teneretur ex casu fortuito, vt in fundo, qui loco dotis datur æstimatus. *l. Quoties. C. de iure dot. & l. Plerumque. ff. eodem tit.* Quando verò contractus est talis, vt in eo æstimatio rei, venditionem non faciat, vt in commodato, & locato, tunc quamuis res æstimata deat, is qui accipit, non manet arctius obligatus, quam substantia, & natura contractus requirat: æstimatio vero rei solum prodest, vt verum pretium sciatur, & tantundem restituatur, si res ipsa perierit dolo, aut lata, vel leui culpa accipientis, ne Dominus rei cogatur probare æstimationem, & pretium sui rei, postquam perempta sit.

Ad id vero, quod Glossa, & Bart. obieiebant ex *l. Si vt certo. §. Nunc videndum. ff. commodati. & alijs legibus supra productis*, Respondet Panormitanus, tunc, quando quis commodatum accipit, teneretur ex casu fortuito, quando sua sponte promittit expresse, se rei pretium soluturum, aut certè, se, vel rem, vel pretium redditurum: secus vero est,

si tantum est facta simpliciter estimatio rei commodata. De hac questione, alij quoque in locis, fusius disputant.

Quinto quaeritur, An pugnet cum substantia commodati pactum, ut is, qui accipit, habeat ad tempus incertum? De hac quaest. Panorm. in cap. Precarium, num. 10. de Precariis, & in cap. 1. de commodato, num. 9. & 10. Respondeo cum Cyro in l. 2. C. de commodato, & cum Bartolo in l. In commodato, ff. de commodato, & Ioan. Andr. in cap. Precarium, de Precariis, & cap. 1. de commodato, & cum Panorm. ibidem, commodatum sua natura requirere, ut sit ad certum quendam usum: & quia certus usus rei tacite, & implicitè certum tempus habet, consequens est, ut commodatum expresse, vel saltem tacite certum tempus exposcat. Et idèd Cyrus, Bart. & Ioan. Andreas dixerunt, ad commodati substantiam certum tempus pertinere, videlicet expresse, vel tacite. Glossa vero in cap. unico de commodato, nihil meminit huius conditionis, quia ad commodatum non requiritur certum tempus, sed expresse, vel tacite duntaxat; quod tempus eo ipso intelligitur, quo dicitur commodatum esse ad certum usum. Vnde si dedi tibi librum ad transcribendum, commodatum accepisti, quia habes ad certum usum, ac proinde ad certum tempus tacite: si vero librum tibi dedi, ut studeres, non accepisti commodatum, quia non habes ad certum tempus expresse, vel tacite: studium enim, certum tempus praefixum non postulat, potest enim toto vitæ tempore durare.

Sexto quaeritur, An qui commodatum accepit, nec potuit servare una cum rebus suis, debeat restituere pretium, si res tantum suas servando, rem commodatam cum eis pariter minime servavit? Respondeo cum Panorm. in cap. 1. de commodato, quam secuti sunt Angelus in verbo commodatum, quaest. 16. Silvest. eod. verb. quaest. 12. & Armilla num. 11. Aut res propriae erant pretiosiores re commodata, vel aequè pretiosae, aut viliores: si pretiosiores, vel aequè pretiosae, nihil cogitur secundum conscientiam restituere, ut si res suas ab incendio, ruina, naufragio, bello, vel à latronibus liberavit. Ratio huius est, quia nemo secundum conscientiam compellitur, rebus, & commodis alienis magis, quam proprijs consulere. Si autem viliores res erant propriae, aut potuit rem commodatam servare aequè ac suam: & tunc secundum conscientiam debet restituere commodatum, vel pretium eius, cum se ad id ex pacto obligaverit, quia contra legem charitatis fecit, rem suam servando, neglecta, & posthabita re aliena: aut non potuit, & tunc restituere secundum conscientiam non cogitur.

Septimo quaeritur, An qui accipit commodatum, possit sibi retinere loco compensationis, hoc est, pro alia re, quam sibi debet, qui commodatum dedit, possit inquam sibi retinere, donec illi satisfaciatur, & solvatur debitum? v. g. Debes mihi decem, commodasti mihi equum, quæro an possim equum mihi retinere, donec solvas decem, quæ debes? Gloss. in cap. 1. de commodato, & Panorm. in cap. Bona fides, de Deposito, & alij Scriptores communiter sentiunt, eum posse sibi equum retinere, idque probant ex l. Si quis vel pecunias, C. de Deposito, & l. ult. C. de compensati. Et Inst. de Act. §. in bona fidei, in quibus locis depositi proprium esse dicitur, ut retineri nequeat loco compensationis. Vnde contra iura, & communem Doctorum sententiam scriptum reliquit Armilla in verb. commodatum, num. 3. rem commodatam loco compensationis retineri non posse. Nam est quidam, ut ait Glossa in Inst. de Actionibus, §. in bona fidei, &c. in verbo Depositi, dixerint, idem iuris esse de commodato, quod est de deposito: eo quod in l. ult. C. commodati, dicitur: [sub pretextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recusat]. At Gloss. ibi respondet, in commodato locum habere compensationem, non in deposito: quia res commodata eadem in specie restitui debet, at deposita res, si pecunia sit, non rem.

Sed cur depositum retineri nequit, commodatum autem potest? Respondet Panorm. Ne qui depositum, inquit, accipit, fidem violet: hoc est, Ne is, cuius fidei depositum com-

mittitur, evadat perfidus. Sunt qui dicant: si ius naturale tantum spectetur, eadem videtur esse ratio in commodato, quæ in deposito. Nam qui commodatum accipit, fidem etiam servare naturali iure compellitur: at res deposita, & commodata restituenda est eadem in specie. Quare, inquirunt, in hac re satis est, si dicamus, leges, & iura voluisse, ut commodatum retineri queat, depositum vero non item. Mihi tamen Panormitani ratio non displicet. Nam qui depositum accipit, videtur facere contra fidem, cum tamen eius fidem, curam, & diligentiam ad rei custodiam requirat, & desideret, qui depositum dedit: sed qui accipit commodatum, accipit, non ut custodiat diligenter, & fideliter, sed ut eo utatur ad tempus. Prædicta item ratio non est à Panormitano excogitata primum, & inventa siquidem in ipso etiam iure tum Canonico, tum Civili reperitur, in cap. inquam, Bona fides, de Deposito, & in l. Si quis, C. de Depositi: in quibus locis prohibetur quis depositum loco compensationis retinere, ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.

Octavo quaeritur, An quæ accedunt ad rem commodatam, hoc est, quæ comitantur vel consequuntur eam, commodata pariter censentur? Respondeo, ea commodata censeri iure communi. *l. Si res certis, §. Vbi, ad eod. ff. commodati. v. g. commodati tibi equum, quam pullus comitatur, intelligitur etiam commodatus pullus: commodati tibi equum cum capistro, pro commodato habetur etiam capistrum: cuius quidem rei ratio evidens est: quia commodatum datur gratia eius, qui accipit, ut eo utatur: ergo quæ rem commodatam comitantur, commodata quoque videntur, ne res commodata sit inutilis. Secus est in deposito, ut suo in loco dicitur.*

Nono quaeritur, Quid iudicandum sit in causa sequenti: Titius commodatum accepit equum à Caio, cui dixit mentiens, se equum accipere ad iter faciendum quatuor dierum, cum revera accepisset ad iter, quod fieri poterat, & soiebat duobus tantum diebus: & quum iter faceret duobus diebus, mortuus est equus casu fortuito in via, an debeat Titius Caio restituere tantumdem, quanti aestimabatur equus, quia Dominus equi deceptus est, cum putaret se equum dare ad faciendum iter quatuor dierum, & Titius acciperet ad faciendum iter duorum dierum. De hac questione commodius dicam, cum de locato, & conducto tractabo.

### Quomodo commodatum finiatur.

#### CAPIT. VIII.

PRIMO quaeritur, Quid sit dicendum eum is, qui commodatum acceperat, ad creditorem, siue Dominum suum per nuncium remisit, & res ipsa, vel nuncij culpa, vel casu perijt? Respondeo in primis, Si creditor nuncium fidelem miserat, qui commodatum repeteret, & referret, nihil debere eum, qui commodatum per illum nuncium restituendum curavit. *l. Eum qui, §. Sed et si, ff. commodati, dicitur sic.* [Sed etsi dum referret, siquidem ego mandaveram, per quem remitteret, periculum meum erit: si vero ipse, cui voluit commissum, aequè mihi culpam praestabit, si sua causa accepit.] Et *l. sequenti* subiicitur. [Qui non tam idoneum hominem elegit, ut rectè id perferre posset.] Et *l. Si mea causa, ff. commodati*, habetur: [Commodata rem missus, qui repereret, eum recepisset, aut fugerit, si Dominus ei dati iusserat, Domino perijt: si commodandi causa miserat, ut referret res commodata, ei, cui commodata est, videlicet, perijt. Sic in ea lege. Deinde si debitor remisit per nuncium, qui communi opinione sans idoneus, & fidus habebatur, nihil cogitur restituere. *l. Argentum, ff. commodati*. Glossa, & Bartolus, *ibid.* Nauar. in *Manual. c. 17. in 125.* Acceto si remisit per nuncium, famulum, vel iterum, qui fidelis non habebatur, debet restituere, siue casu fortuito, siue dolo

vel culpa nunci perierit, quia satis solum nuncium non adhibuit, neque elegit: Glossa, Bartolus, Nauarrus, & alij.

Secundo quaeritur, An qui commodatum dedit, possit repetere, & accipere ante tempus constitutum, vel antequam is qui accepit, eo usus fuerit? Respondeo minime. *l. in commodato. §. Sicut. ff. Commodati. & cap. 1. de Commodato.* Tunc enim si repeto, damno debitorem officio, is enim, nisi ego repetem, sibi aliunde prospiceret. Hoc, in foro iudiciali, non in conscientiae foro locum habet, quando is qui commodatum dedit, damnum maius, aut aequale passurus non esset, & is qui commodatum accepit, facile sibi potuisset, non creditori alia ratione confutere. Siluester *in verbo Commodatum, qu. 4.* Angelus *eodem verbo, num. 4.* Armilla *eodem verbo, num. 2.* Tabien- sis *ead. verb. num. 2.* is enim sibi imputare debet, qui potuit facile, & commodè suis rebus providere, nec tamen fecit.

Item sibi quisque magis quam alteri obligatur, *cap. Si non licet, 23. qu. 5. & l. Praeses. C. de Seruis.* Nauarrus *in Manuali, cap. 17. num. 182.* eximat, eum etiam tunc peccare secundum conscientiam, si repetat. Quia quisque, inquit, debet pactis & promissis stare. *cap. Qualiter, de Pactis, & l. ff. eod. tit.*

At verus est, quod Siluester, & Angelus tradiderunt: nemo enim tunc cum suo damno fidei, pactumque in eo casu seruare naturali iure compellitur.

Tertio quaeritur, Quo in loco commodatum sit restituendum? Respondeo, commodatum, quod solum datur gratia eius, qui accepit, ut per unumque sit, esse reddendum eo in loco, de quo facta fuit pactio inter dantem, & accipientem. *l. Si ut certo, in principio. ff. Commodati.* Si vero de loco pactum expressum non fuit, restituendum est eo in loco, ubi quis accepit, quamuis accipiens commodatum, ab eo loco recesserit, siue in alium migrauerit; quia commodatum est gratia ipsius, ergo eius impensis debet ad creditorem reverti: non enim, qui commodatum dedit, damno est afficiendus, cum officium charitatis praestiterit.

Quando commodatum solum est causa eius, qui dat, reddendum est eo in loco, ubi res est, non ubi data, & accepta est; & propterea debet restitui eius qui dedit, non eius, qui accepit, impensis.

Quando commodatum, est ad utilitatem utriusque, dantis & accipientis, debet restitui in loco, ubi res accepta est, si nihil de loco pactum est, & impensa in restituendo commodato tunc debent esse communes, quia commodatum est gratia utriusque: & qui lucrum percipit, debet & oneris participare esse.

### Quanam actio ex commodato oritur.

#### CAVIT IX.

**D**V. actiones ex commodato nascuntur, una dicitur directa, altera contraria. Directa conuenit commodanti, & eius heredibus in eum qui commodatum accepit, & in eius heredibus: is enim, qui commodatum dat, iure petit ab eo, qui accepit, ut restituat rem commodatam eandem in specie, ut Iurisconsulti loquuntur, vel eandem in substantia, & numero, ut verbis utar Philosophorum. Deinde si res commodata, dolo, vel culpa eius, cui est commodata, sit facta deterior, ius habet, qui commodauit, repetendi ab eo, quod sua interest. Unde *in l. Eum qui rem commodatam accepit,* habetur. [ Si in eam rem usus est, in quam accepit, nihil praestare, si eam in nulla parte, culpa sua deteriore fecit, verum est. Nam si culpa eius deteriore fecit, tenebitur. ] Haec ideo in ea lege dicuntur, quia saepe

res, quae commodantur, vti ipso accipiuntur, ut vestes, & similia, ita ut tandem permittantur: tamen non prius abluantur, & pereant, quam ex eis vtilitas capiat.

Præterea si inter dantem, & accipientem pactum fuit, ut res certo loco, & tempore redderetur, iure agitur in accipientem, ut pacta seruet, sin minus, damnum teneat. *l. Si ut certo, in principio. ff. Commodati.* Contraria actio competit ei, qui commodatum accepit, in eum, qui dedit. Nam primo iure petit, ut damnum restituiat, quo affectus est, ablata ei re ante tempus constitutum, & usum expletum. *l. in commodato. §. Sicut. ff. Commodati.* Secundo, iure agit in commodantem, ut sibi soluat impensas necessarias, & maiores, quam res ipsa, iure naturali postulabat, ob eam nempe causam, quod rem commodatam refecerit seruum, vel equum commodatum, morbo affectum curauerit. *l. In commodato, citata. & l. In rebus. §. Possunt. ff. Commodati.*

Præterea quando is, qui commodatum dedit, commodauit scienter rem vitiosam, is cui est commodata, iure agit in eum, ut quod passus est damnum, restituiat. *l. In rebus. §. Item qui. ff. Commodati.* sic est: [ Item, qui sciens vasa vitiosa commodauit, si insulum ibi vinum, vel oleum, corruptum, effusumque est, condemnandus eo nomine est. ] *Idem habetur in l. In commodato. §. Sicut, ad finem. ff. eodem titulo,* ut si ad fulciendam insulam, tigna commodasti, deinde subtraxisti, aut etiam sciens vitiosè commodasti, mihi obligaris. Adiuuari, inquit tibi lex, nos, non decipi beneficio oportet. Secus esset, si quis bona fide per ignorantiam, rem vitiosam commodasset. *In l. In rebus. §. Possunt. ff. Commodati,* legimus hæc: [ Possunt iusta causa interuenire, ex quibus cum eo, qui commodasset, agi deberet: veluti de impensis in valetudinem serui factis, quæque post fugam requirendi, reducendique eius causa factæ essent: nam cibarium impense naturali scilicet ratione ad eum pertinent, qui utendum accepisset. Sed id, quod de impensis valetudinis, aut fugæ diximus, ad maiores impensas pertinere debet: modica enim impendia verius est, ut sicuti cibarium, ad eundem pertineant. ] Sic ibi.

Quæstio vetus est, An leges, & iura ciuilia merito actionem furto concellerint aduersus eum, qui rem commodata aliter usus sit, quam in eum finem, ad quem data sit?

Apud Agellium *libro 7. cap. 15.* Labeo, & Q. Sæuola veteres Iurisconsulti dixerunt, acta, & seuera iudicia de furto habita esse apud antiquos, quippe qui tanquam in furto actionem dederunt, secundum leges duodecim Tabularum, in eos, qui rem commodata viderentur aliter, quam quo utendam acceperant. Idem scribit Valerius Maximus *lib. 8. cap. 2.* De hac re dicam fu-

sius, cum de Deposito tractabo.

\*\*\*